Dissertatio medica inauguralis de malo hysterico ... / [Charles Richardson].

Contributors

Richardson, Charles.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : W. Ruddiman, J. Richardson, 1763.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/h8skh5ds

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

8

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MALO HYSTERICO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

GULIELMI ROBERTSON, D. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS RICHARDSON, SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 21 Januarii, hora quarta post meridiem.

EDINBURGI:

Apud W. RUDDIMAN. J. RICHARDSON. et Socios.

M.DCC.LXIII.

HONORANDO ET EXIMIO VIRO

JOANNI MURRAY

DE STROWAN;

PUBLICO AD REGNI COMITIA LEGATO:

NOBILISSIMI PRINCIPIS

JACOBI ATHOLIAE DUCIS

GENERO AC FRATERNO FILIO:

ATALIBUS CLARO, SED CLARIORI VIRTUTIBUS:

ARTIUM LIBERALIUM,

SIVE IN OTIO, SIVE IN NEGOTIIS,

PATRONO:

MORUM ELEGANTIA VITAEQUE DIGNITATE

IMPRIMIS ILLUSTRI:

HASCE SUORUM IN MEDICINA STUDIORUM

PRIMITIAS

CONSECRAT

CAROLUS RICHARDSON.

HONORANDO ET EXIMIO VIRO

JOANNI MURRAY

DE STROWAN;

PUBLICO AD REGNI COMITIA LEGATO;

NOBILISSIMI PRINCIPIS

JACOBI ATHOLIÆ DUCIS

GENERO AC FRATRIS FILIO;

TALIBUS CLARO, SED CLARIORI VIRTUTIBUS;

ARTIUM LIBERALIUM,

SIVE IN OTIO, SIVE IN NEGOTIIS,

PATRONO;

MORUM ELEGANTIA VITÆQUE DIGNITATE

INPRIMIS ILLUSTRI;

HASCE LOCORUM IN MEDICINA STUDIOSORUM

PRIMITIAS

CONSECRAT

CAROLUS RICHARDSON.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

MALO HYSTERICO.

OMNIUM morborum, quibus genus humanum exercetur, nullus frequentior, aut magis variat, quam iſte, qui vulgo Hyſtericus dicitur. HOFFMANNUS malorum Cohortem eum adpellat; adeoque vix malum quicquam eſt, quin ſolerti imitamine ſimulare queat, ut ſummo ſaepe ingenii acumine, diligentiſſima obſervatione opus ſit, ſi, haec aliis multis et diverſam curationem requirentibus, diſcernere quis velit. Vix in duabus mulieribus eandem faciem induit, quin et in eadem ſaepe aliis temporibus alius quoque ejus vultus erit. Cum igitur hujus morbi omnia tam diſſimilia, vaga et contraria ſeſe oſtendant, acceſſiones, ita nulla lege, ordine nullo fiant, ut ipſe SYDENHAMUS, ad nullius formae conſtantis quicquam, redigere potuerit (*a*), hiſtoriam morbi pertexere ut difficillimum ſit neceſſe eſt.

(*a*) Sydenham. Epiſt. ad G. Cole.

Hic morbus variis nominibus adpellatus eſt, a Graecis υστερικη, γνιξ, η απνοια της υστερας; a Romanis, Praefocatio ſeu Strangulatio uteri. Praeter haec, alia ab aliis ſcriptoribus, prout in opinionum et rationum de eo diverſitate ſinguli fuerunt, ex occaſione inventa ſunt; qualia ſunt, Perfrigeratio flatuoſa, Syncope frigida, Epilepſia uterina, Affectus uterinus, Malum hyſtericum.

Quorum omnium aptam morbi ſignificationem nullum exhibet. Nec facilis equidem, fateor, inventu vox eſt, et forſitan omnino nequit, quae tam incertam rem certiore nota diſtinguat. Nobis prae caeteris arridet HOFFMANIANUM illud, *ſpaſmodicus convulſivus morbus*, cui adjectum *Hyſtericus* vocem velim, quo certius aliis hic morbis ſpaſmodicis diſtinguatur.

SYMPTOMATUM ENUMERATIO.

PAULO ante acceſſionem, hebetari mulieris ſenſus, totum corpus moleſtia affici, ſolent, palleſcit vultus, idemque totus ſuffundi animi dolore videtur: tum frontem, tempora et oculos, dolor vehemens invadit, lacrimae effunduntur, tenebrae oculis objiciuntur, palpitat cor, pulſus arteriarum inaequalis, durus et interciſus. His ſuccedunt, lumborum dolor, cum maximo totius corporis frigore: venter dureſcens, aut inflatur, aut conſtringitur; et, ſive hoc, ſive illud, factum eſt,

umbilicus

umbilicus intro retrahitur: hypochondrion ſiniſtrum, regioque epigaſtrica quaſi vi diſtenta percipiuntur: quorum diſtentio magis atque magis arctata in globum cogitur, iſque ſenſim ad guttur aſpirans mulierem prope ſtrangulat. Hoc tempore arteriarum pulſus vix ſentitur; interrumpitur vox, crebrior ſpiritus fit, et pene ſupprimitur: quibus interdum malis antecedunt, ventris murmura, dolores cum certis locis contenti, tum per ventrem et partes muſculoſas paſſim vagantes, artuumque, invita muliere, protenſiones et contractiones, iique totius corporis motus, quibus valentiſſimus robore vir ſit impar componendis. Hæc omnia in ſomnum profundum deſinunt; quo mulier per aliquantum temporis, ſenſu motuque adempto, ſepulta jacebit. Deinde poſt aliquam in morti ſimillimo hoc ſomno moram, gemitus graves et tardos reviviſcens ducere; ſonare inteſtina incipere, aër e ſtomacho, e vagina ſeroſus aut ſanguineus humor rejici; recluduntur oculi, vultu rubor diffunditur, cum voce ſenſus redeunt, poſtremo omnia ad ſalutem quae ſunt, ſigna jam apparent; ſaepe tamen infirmae et tanquam contuſae partes affectae aliquamdiu poſt percipiuntur.

Semper aliqua pars capitis, in aliis frons, in aliis tempora, maxime autem occiput, afficitur. Premit vertigo, aurium tinnitus, moleſtique arteriarum temporum pulſus. Continetur ſaepe uno

aliquo capitis puncto dolor moleſtiſſimus, quem vomitus immanis haud raro comitatur. Dicitur hic *clavus hyſtericus*. Obfuſcantur ſaepe oculi caligine, quibus muſci quaſi obvolitare videntur; vel ita arcte clauſi ſunt, ut recludi iterum vix poſſint; terribiles in modos iidem circumrotantur; ſimul horrendae voces tolluntur, et, tanquam dolor ſubeſſet, pectus aegra manu percutit. Saepe vultus ſubito rubeſcit, et calore non mediocri afficitur. Eſt ubi pallor et frigus pro prioris ratione rubedinis ſequitur (*a*). Nonnunquam per aliquot dies ſaliva fluit; quin et dentium dolorem interdum morbus imitatur; nonnullis dentes ſtridunt, os ſpumeſcit, ut epilepſia correptis fit (*b*). Perraro tuſſis abeſt, quae convulſiva aliquando fit (*c*), cum tantis cordis palpitationibus, quantae ex intervallo aliquo exaudiantur. Spiritus varius eſt, pulſus arteriarum prope innumerabiles (*d*): nec in eadem muliere, etiamſi ſimilia mala et tempora ſunt, ſimiles hi quoque inveniuntur. Nonnunquam fit, ut et ſpiritus et pulſus omnino ceſſent. Laboratur ſyncope, cardialgiis, febri et vomitu violenti; utque in morbo, qui Cholera dicitur, materia ſpecie inconſtantiſſima per hunc rejicitur. Quod in verum aliquando icterum vertitur; quæ ubi fiunt, venter plerumque

(*a*) Aſtruc traite des malad. des femmes, vol. 4. p. 55.
(*b*) Hippocrat. Foeſii de morb. mul. lib. 1. § 5. p. 157.
(*c*) Lieuteaud Precis, de la medicine pratique, p. 617.
(*d*) Aſtruc loc. citat. p. 57.

plerumque tactus manu durus eſt, et prominet. Fumi acidi et corrodentes ſtomacho exhalantur, ſic ut ipſos dentes inficiant, eoque magis, quo diutius morbus duraverit; iidem aliàs putentes obſervantur. Dolet vehementer abdomen, et quaſi pulſare ſentitur, nec in una aliqua parte, ſed aliis poſt alias: alvus aliquando reſoluta cum teneſmo urget: ſed plerumque illa tamen obnixe dureſcit. In acceſſione, anus et rectum adeo contrahuntur, ut fiſtulam, qua liquor aliquis eo immitti ſolet, nequeant accipere. Aliquando renes, ureteres et veſica afficiuntur, ut omnia calculi mala ſimulentur: urina parca, difficillime, immani cum ardore, redditur; eſt ubi copioſa, et cryſtalli inſtar, pura mejitur; quod quidem SYDENHAMUS morbo proprium vel παθοſυνομονικον cenſuit. Eadem dolore et ſedimento admodum variat. Crura, brachia, et digiti, nervorum reſolutione et convulſionibus, ſubinde agitantur. Interdum aeque ſubito, ac in apoplexia fit, mente afflictae privantur: verum, quod in apoplexia non fit, paulo ante acceſſionem, maxilla inferior convellitur (*a*). Operae pretium eſt hanc obſervationem notare, quando a menſtruorum humore intus retento morbus profectus eſt, quo tempore illa erumpere nituntur, multa corporis loca, magiſque circa ventrem, pectus et cervices, cum dolore intumeſcere; quod eo uſque aegram male habet, donec vel vena ſecetur,

(*a*) Lieuteaud Precis, de la medicine pratique, p. 618.

cetur, vel ſanguis, naturae conſilio, per nares, pulmones, aut alias partes effluat: quo facto ſtatim hoc incommodum evaneſcit. Miras ardoris et frigoris vices mulieres percurrunt, quorum hujus frequentiſſimus in tergo ſenſus eſt. Per acceſſionem plerumque aegra vehementi ardore aeſtuat, in horrorem et frigus mox fere deſituro. Quin et mirum hoc in primis eſt, quod, quanquam toto corpore glaciei inſtar gelaſcente, pulſus non ſecus ac bene alicujus valentis rite ſe habet (*a*). Quandoque caput cum humeris ardent, mirum in modum reliquo corpore interim frigeſcente. Denique tanta eſt horum omnium varietas, ut dinumerari omnia prope nequeant. Nec animi affectiones quietiores ſunt; cachinni tolluntur enormes, quos moeſtitia, ſollicitudo et fletus, nulla apparente cauſa, ſequuntur. Amor, odium, ſpes, deſperatio, ex leviſſima quaque re, alternis vicibus ſeſe excipiunt: adeo ut propoſitum tenere aegrotans, aut conſilia ſequi certa, nequeat.

Univerſas hujus morbi notas ſupra neque comprehendere, neque ordine quo ſe oſtendunt, ſingulas perſequi licuit: nec fieri hoc potuit; ſiquidem ſpecie, numero, et diuturnitate, pro cauſis acceſſionum, ſingularum temperamentis, poſitura, et mobilitate partium, nunquam non variant.

QUID

(*a*) Sydenham. loc. citat.

QUID INSECTA CADAVERA DOCEANT.

DE GRAAFFIUS, cum alicujus hoc morbo peremptae cadaver incidiſſet, nullibi vitium, praeterquam quod cordis ventriculi praeter naturam ſanguine coagulato diſtendebantur, invenit (*a*). Neque WILLISIUS quidem, niſi quod meſenterii laminas inter ſe junctas obſervavit (*b*). PANCREAS HIGHMORUS ſolum ulceratum ſe vidiſſe ait (*c*). Meſenterii venae turgeſcere et varicoſae eſſe nonnunquam obſervantur (*d*). DE GRAAFFIUS in plurimis hoc morbo jugulatis univerſa viſcera integra, et ſecundum naturam ſe habere comperit. Contra, cadavere alicujus hoc morbo extinctae inciſo, innumerabiles glandulae ſchirroſae, figuris et magnitudine variae, et durae adeo ut cultro contra reſtiterint, per meſenterium in conſpectum datae ſunt; uterus, ovaria, vaſaque ſpermatica, materie corrupta, lacti quod coit haud abſimili, infarcta ſunt (*e*). Virginis ovaria, RIOLANUS, palma longiora, materie ſeroſa turgere, tubumque Fallopianum, quam pro natura multo eſſe majorem repperit (*f*). RIVERIUS, marito orbae cujuſdam ovarium ſiniſtrum parvo ovo magnitudine par,

(*a*) De ſucc. pancreat. cap. 9. ex Elſnero.

(*b*) Patholog. cerebr. cap. 6.

(*c*) Diſquiſit. anat.

(*d*) Guarinon. Conſ. 484. Lud. Mercat. tom. 3. lib. 1. cap. 9.

(*e*) Mannaget. miſcellan. curioſ. Amſt. 1674.

(*f*) Anthropogh. 2. c. 32.

par, et nigro colore imbutum, conſpexit, idemque cultro exploratum, nigrum quiddam gangrenoſi ſpecie intus continere (*a*). DIEMERBROECKIUS, pilae palmariae magnitudinem ſuperans ovarium, in quo viſcidum aliquid inerat, deprehendit. Idem, in aliis quoque ovariis, poſt necem inciſis, fulvo croceove colore humorem offendit (*b*). Puellae variis malis hyſtericis extinctae, in cadavere, inteſtina craſſa, parſque hepatis convexa liveſcere, vaſa ſpermatica ejuſdem viſcido ceruleo referta eſſe, ovaria, et tubi Fallopiani, materia, variis coloribus, et craſſitudine quoque varia, incredibilem in modum diſtendi, uterus perparvus eſſe, deprehenſa ſunt (*c*).

CAUSAE PROCATARCTICAE.

Morbum efficiunt, animus vehementius aut diutius in aliquid intentus, vel moerore (*d*), ira (*e*), aliiſve affectibus commotus (*f*); luxuria, immodicus cibi et potionis, maxime vinoſae, ſeu, quod vulgo dicitur, ſpirituoſae, uſus; cibi crudi et inflantes, acida liberius juſto aſſumpta, magis ſi vitae genus iners

(*a*) Cent. 1. obſ. 60.

(*b*) Anat. lib. 1. cap. 23.

(*c*) Bonetus ſepulchret. anat. v. 3. p. 48.

(*d*) Plateri obſ. lib. 1. p. 190.

(*e*) Fred. Hoffmann. conſult. et reſponſ. med. cent. 2 et 3. ſect. 3. caſ. 51. p. 234. Foreſtus, lib. 28. obſ. 28. v. 3.

(*f*) Id. vol. 3. ſect. 1. cap. 5. p. 54 et 59.

iners nec actuosum est; jejunia (*a*), vomitus violentes, alvus ultra modum effusa, insolita fatigatio (*b*), venus nimia vel nulla, (*c*), menstruorum, sive major sive minor justo fluxus, vel hic totus retentus, (*d*) fluxus lochiorum (*e*) vel haemorrhoidum (*f*), e quacunque re, praesertim subita aliqua, sicut iis quae adstringunt (*g*), vel per frigus retentus (*h*); abdomen nimis compressum (*i*): accedunt denique partus in alvo elisus, difficilis pariendi labor, aër calidior humidiorve. Postremo, quicquid vel nimiam sensilitatem accersit, vel, ut humorum copia inutilis ad partes naturales derivetur, facit, vel excretiones naturales ullo modo impedit, hujus morbi jacere semen potest.

Ab hoc loco non alienum est supra memoratis addere, languidas et pituitosas natura mulieres in aeque acerbas accessiones non incidere ac eae quae irritabiliores sunt, et pleniorem habitum habent; eaedem tamen deliquiis frequentibus opportuniores, levissimae cujusque rei strepitus, aut sua-

(*a*) Sydenham. loc. supr. citat.
(*b*) Hippocrat. lib. 1. sect. 5. p. 157.
(*c*) Id. loc. ult. citat.
(*d*) Id. Aphor. 57. lib. 5.
(*e*) Hoffman. v. 3. sect. 1. cap. 5. obs. 7. p. 61.
(*f*) Id. cap. 6. obs. 11.
(*g*) Id. consult. et respons. med. cas. 99. p. 226.
(*h*) Juncker. conspect. med. p. 195.
(*i*) Id. p. 330.

vis alicujus odoris, impatientes esse consueverunt (*a*).

Quibus anni temporibus ingruat.

Omnibus hic morbus temporibus ingruit, magis vero hiemali vel autumnali (*b*); humidis ac frigidis tempestatibus, saevientibus magis omnibus συμπτωμασι, fere revertitur; magis si calidi siccique dies aliquanto ante fuerunt (*c*), multae in eum sine ulla manifesta causa incidunt; aestate optime se habent.

Quare mulieribus familiarior sit morbus quam viris.

Mulieres imbecilliore corpore esse quam viros, e cutis illarum mollitie, et solidarum partium elasticitate minori, adparet (*d*); unde Hippocrates humidiori eas temperamento esse (*e*), partesque humidas magis abundare (*f*) opinatus est; quam opinionem experimenta probarunt (*g*): incisis enim corporibus, musculos muliebres graciliores, plus adipis fibris passim intersperfum, ossa leviora et minus densata, quotidie videre est: quo citius ad adultam aetatem ab iis pervenitur, cum molliora earum

(*a*) Fred. Hoffman. vol. 3. sect. 1. cap. 5. p. 52.
(*b*) Nic. Piso, de morb. cognosc. et curand. v. 2. p. 327.
(*c*) Avicenna, v. 1. lib. 3. p. 943.
(*d*) Hippocr. chart. de morb. mul. lib. 1. v. 7. p. 729.
(*e*) Id. natur. pueror. s. 6.
(*f*) Id. de gland. s. 11.
(*g*) Hales haemastat. p. 12.

rum vaſa et explicabiliora ſint (*a*); ad haec minus perſpirant (*b*), et arteriae earum imbecillius et languidius pulſant (*c*).

SEDES MORBI.

QUIBUS ex obſervationibus diſci poteſt, muliebrem habitum virili infirmiorem et in plenitudinem procliviorem eſſe: quod utrumque, inertia et deſidia, huic ſexui communia vitia, conſuetudine auctum, confirmant: omiſſis exercitationibus, humores per vaſa, praecipue abdominis, tardius feruntur; motus inteſtinorum periſtalticus debilitatur: agitatio, chylo in boni ſanguinis naturam mutando neceſſaria, deficit; eorum quae debent minus ſecernitur, quorum et proprietates in pejus eunt, ut minus etiam excernatur. Quae omnia, ſi animi affectiones et perturbationes, quibus opportuniores mulieres quam viri ſunt (*d*), accedunt, imperfectae ciborum concoctionis pravos effectus, languidiorem humorum circuitum, nimiamque, cum reliqui corporis, tum maxime primarum viarum mobilitatem, ducent. Has autem, ſaepe in mulieribus, ſemper in viris, morbi ſedes eſſe, eo judicamus, quod adeo ſenſiles ſint, et cum univerſo corpore conſentiant: quos earum ſenſus et conſenſus probant cordis palpitationes, pulſus arteri-

 rum

(*a*) Boerhaav. de vir. med. cap. 13.
(*b*) Sanctor. ſect. 3. aphor. 72.
(*c*) Galen. de cauſa pulſuum, 3. 5.
(*d*) Bagliv. prax. med. lib. 1. p. 131.

arum inaequalis, ſudores frigidi, delirium, corpus convulſum atque animus deficiens, graves ventriculi dolores et inflammationes (*a*) ſequi conſueta. Haec tamen e leviſſimis cauſis nonnunquam oriuntur (*b*); ipſe anxietatem, vomitum, frigidoſque ſudores, pene ſtatim ex inciſo leviore plaga digito, vel ſi ulcus aliquod cruris (*d*) caſu irritatum eſt, vidi ſupervenire: quibus ſimilia, ubi acre aliquid per anum immiſſum eſt, ubi inteſtina doluerunt, aut lumbrici tenuem inteſtinorum tunicam irritarunt, ſimiles quoque ſenſus indicant.

Videmus igitur canalem alimentarium acutiſſimis eſſe ſenſibus praeditum; idem, per inexplicabilem hactenus cum univerſo corpore conſenſum, in motus immanes partes etiam maxime diſſitas conjicere ſaepe valet, et ab iiſdem his invicem affici poteſt; quo fit, ut aptiſſimus ſit hic locus ubi morbus infinitam prope malorum ſeriem complexus, et univerſum corpus male afficiens, ſedes ſuas collocet. Has autem ſedes eſſe, hinc principia morbi, evincunt, anxietas, nauſea, vomitus, ſyncope, ventris murmura, et hoc genus alia, acceſſionibus

(*a*) Foreſtus de ſtomach. affect. tom. 1. lib. 18. obſ. 21. p. 301. Medical Eſſays, vol. 1. art. 29.

(*b*) Foreſtus ſimile huic aliquid ex lacte in ventriculo coëunte memorat, loc. ſup. cit. Videbis et aliud ab irritato in oeſophago tumore, Med. Eſſ. vol. 1. art. 28.

(*c*) Conſenſum hunc ventriculi cum reliquis corporis partibus, etiam probant motus toto corpore ab opiatis aliiſque venenis excitati. Vide Wepfer. de cicut. aquat.

ſionibus fere nunquam non praeëuntia. Contra objiciatur, " acceſſiones aliquando a partibus ab in-
" teſtinis et ventriculo remotis incipere, cumque
" illa quieſcere, et affectu omni immunia eſſe vi-
" deantur, ab iis morbi cauſam non eſſe peten-
" dam." Sed futile hoc argumentum eſt; ſiquidem et affici locus aliquis, et affectus latere poteſt. Nonne enim graves dolores ab oneratis ſtercore inteſtinis, aut ſtomachi affectibus, ad caput ſaepe adſpirant, neque in locis primum affectis ulla tamen moleſtia ſentitur?

Tametſi hujus morbi, in ventriculo vel inteſtinis, nullo diſcrimine, principia collocavi, tamen frequentius et gravius his affici ille obſervatur, qui quidem ſuae conformationis proprium aliquid habet, quo prae caeteris fit, tum huic tum aliis morbis, ad ſe recipiendis idoneus. Nonne varia et diſſidentia hic ſymptomata ad alias aliorum corporum conſtitutiones, ſive ἰδιοσυνκρασεις, referenda videntur? Nonne etiam reliquas partes, ſi caetera paria ſunt, ut aiunt, magis aut minus afficiuntur, prout diatheſis hyſterica, ſi voce uti liceat, major aut minor contigit.

Altera morbi sedes.

In alteram nunc morbi originem male affectum, uti nobis videtur, uterum, demum inquirendum eſt. Ut canalis alimentarius, ita hic quoque in-

ſigni

ſigni ſenſilitate pollet, ſimiliterque cum reliquo corpore conſentit.

Hi uteri ſenſus non ſolum ex fabrica ejus ſpongioſa, intertextis numeroſis vaſis ſanguineis et nervis, patent; verum etiam ex exquiſitis doloribus et aerumnis, quas ei infert inepta inter pariendum tractatio. Conſenſum ejuſdem cum toto corpore probant vomitus, convulſiones, et ſimilia, quae inflammato naſci utero (*a*) notum eſt, univerſorum artuum languor, cibi faſtidium, artuum delaſſatio, capitis, dorſi, et lumborum dolor, mulieribus, inter poſtque menſtruorum fluxum, conſueta; porro anxietas, ſpirandi difficultas, cordis palpitationes, ſyncope, vertigo; poſtremo, convulſiones, retentis menſtruis, ſaevientia.

Neque enim haec mala ad totius corporis pleniorem habitum referenda judico:

Primum, quia ſanguis corpore excretus iiſdem proprietatibus pollet, quibus intus retentus (*b*)

Deinde, quia mala, de quibus ſupra comprehenſum eſt, ex abundantia boni ſanguinis minime oriuntur.

Tertio,

(*a*) Vid. Paul. Aeginet. lib. 3. cap. 64. et Joannis Varandaei de morb. mul. lib. 3. p. 142.

(*b*) Friend. Emmenolog. cap. 2. p. 60. Haller. prim. Phyſiolog. p. 335.

Tertio, quod eae quibus menſtrua omnino occluſa ſunt, quo tempore haec fluere debent, in utero, eique vicinis partibus, magna moleſtia affici ſolent, quae abſque ulla inanitione manifeſta protinus evaneſcit (*a*).

Denique, quod ante hunc fluxum, vel etiam in ipſo fluendi tempore, ſecta vena, largiorique, quam in ſana aliqua unquam factum eſt, copia ſanguinis emiſſa, tamen ſuo tempore, et ſolita ſaepe copia, menſtruorum humor erumpit.

Poſtremo, quod, ut longo medendi uſu edocti viri obſervarunt, mulieribus ad extremum imbecillitatis et inanitatis, veterantibus morbis, redactis, haec excretio ſaepe neque defuit, neque ſuas leges non ſecuta eſt (*b*).

Unde ſymptomata modo memorata, ex affectibus uteri cum corpore per conſenſum communicatis, orta eſſe conjicio, atque ex iiſdem hujus morbi malorum principium eſſe petendum; quam conjecturam vereſimillimam haec reddent.

Virgines

(*a*) Hippocrat. Foeſii, lib. 1. p. 589.

(*b*) Ramazinus monacham memorat decem annorum morbo labefactam, lectoque affixam, cui tamen menſtrua naturae legibus paruit. De morb. artificum, cap. 19.

Virgines pubeſcentes, ſi menſtruis primum fluxuris a vi aliqua contra reſiſtitur (*a*), aut quavis aetate mulieres, quibus difficile admodum illa erumpunt, graviſſimis hujus morbi acceſſionibus ſaepe torquentur (*b*) ; haeque ipſae tum demum acerbiſſimae fiunt, cum ejicere cohibitum humorem natura nititur (*c*) : Contra, ſi quando mala Hyſterica ſunt, neque peccatur in menſtruis, mitiora illa eſſe nunquam non obſervantur (*d*).

Sed et acrium humorum effluxio, qualis eſt fluor albus, qui dicitur, vel mola in pus abiens (*e*), vel concluſum utero aliud quidvis, eumque irritans, affectibus Hyſtericis occaſionem ſaepe dederunt (*f*).

Ad haec uterus cum vagina, adveniente jam acceſſione, vehementer agitantur. Ipſa mulier contrahi illum, in longitudinenem tendi, et ab altero latere ad alterum moveri percipit (*g*). Interdum

(*a*) Aſtruc, loc citat. p. 65.

(*b*) Hoffman. loc. ult. citat. p. 54.

(*c*) Hippocrat. Foeſii, de morb. mulier. lib. 1. § v. p. 158.

(*d*) Joannis Varandaei, loc. ſupra citat. p. 112.

(*e*) Maureceau maladies des femmes groſſes, liv. 3. cap. 21. Boerhaav. de morbis nervorum, v. 2. p. 847.

(*f*) Joannis Varandaei, loc. citat. Caſper Bauhini, theatr. anat. lib. 1. c. 39.

(*g*) Aſtruc, loc. citat. p. 64. Joannis Varandaei, loc. citat. p. 116.

terdum dolor ſatis acutus accedit. Obſervatumque eſt poſiturae uteri prorſus mutatae notas non ambiguas non defuiſſe (*a*).

Porro ubi hic morbus poſt partum aliquam adgreditur, ab interno uteri vel vaginae ore incipere ſolet convulſio (*b*). Denique ſoluta acceſſione ſeroſus ſanguis (*c*) ſemper, interdum putens (*d*) humor, per vaginam effluit.

Poſtremo venus efficaciſſimum morbi auxilium, (*e*), qua, ut quaeque maxime religionis nomine, abſtinuit, ita affectibus Hyſtericis opportuna maxime fuit (*f*); atque hoc iis etiam magis uſu venit, quae ſigna deae olim ſequi ſolitae transfugae tandem deſeruerunt. Unde fit ut viris orbatae proniores in hanc peſtem quam aliae ſint (*g*).

Igitur ex omnibus, de quibus diſputatum eſt, muliebria corpora ſenſiliora et irritabiliora, ac

C proinde

(*a*) Nic. Piſo, de morb. cognoſcend. et curand. lib. 3. p. 324.

(*b*) Fred. Hoffman. loc. ult. citat. p. 53.

(*c*) Capp. Aretaeus, de cauſis et ſign. morb. acut. lib. 2. cap. xi. Galen. comment. in Hippocrat. lib. vi. de locis affect. c. v. Lomius, obſerv. med. lib. 2. p. 281. Aſtruc loc. citat. p. 55.

(*d*) Fred. Hoffman. loc. citat. obſ. 7.

(*e*) Haec opinio ubique conſtat inter auctores.

(*f*) Maureceau, loc. citat.

(*g*) Nic. Piſo, loc. citat. p. 322. Rodericus a Caſtro, de morb. mul. lib. 2. p. 154.

proinde imbecilliora quam virilia esse, apparent. Atque, omissa uteri ratione, in affectus Hystericos ut procliviores eaedem sint, necesse est. Quod si et uteri ratio habeatur, et duplex causa concurrat, mirumne alicui erit, si facilior etiam ad eas quam ad viros, ruenti pesti sit aditus?

DIAGNOSIS.

QUAM incertae sint hujus morbi notae omnes, quamque aliis ei distinguendo parum sufficiant, ex historia ante descripta patet. Tot in facies se vertit, tot vultus induit, tot diversorum malorum personam sumit, ut saepe experientia, cum acris medici sagacitate, priorque vitae generis et corporis habitus notitia, hoc inter et alia plurima mala solum discernere queant. Desunt omnia signa παθογνομονικα, quae dicuntur; ipseque SYDENHAMUS dormitabat, cum urinam limpidam hystericis malis propriam esse, aliis alienam, et pro certissimo illorum signo habendam, affirmaret. Neque enim malis hystericis talis urina propria est, neque, ut antea est dictum, in iisdem his semper invenitur.

Quibus prae caeteris dignosci morbus potest, haec sunt: Globus hystericus, et ante accessiones, cum aliae animi affectiones, tum maxime metus; accedunt, ipsa affectuum omnium diversitas, subitusque eorum ab aliis ad alia loca transitus.

Proximum

Proximum nunc eſt affectuum hujus morbi ſingulorum rationes proponere; quod tamen duplici cauſa cenſui omittendum: ne hic ſermo, quem ab initio intra levioris opuſculi modeſtos limites coërcere propoſitum eſt, in immodicam longitudinem procedens turgeat; neve explicandi ſtudio in obſcura provectus, obſcuriora turpiter relinquam. Subtilium enim corporis noſtri partium fabrica, moduſque, quo corpus et animus, nervorum ope, in ſe mutuo agant, adeo incerta et incognita nobis ſunt, ut quibuſlibet rationibus evolvi poſſe non videantur. Quod ſi neque rationibus nullo experimento firmatis credi oportet, et hic experimenta deſunt; contra, ſi plurima conatibus noſtris ubique officiunt, ſpes fallunt, et intra optatam conſiſtere metam cogunt, nonne in Baglivianum illud cogi videmur? "Latet, aeternumque latebit, minima illa ac ſubtilis, non ſolum a ſenſibus, ſed ab humanae mentis acie prorſus remota, ſolidarum aeque ac fluidarum corporis viventis partium textura."

PROGNOSIS.

Hic morbus minus periculi quam terroris habet (*a*). Pro vi et numero affectuum in eo ſeſe oſtendentium, et prout acceſſiones frequentiores aut diuturniores ſunt, ita de eventu judicandum

(*a*) Diuturnus quidem affectus eſt, minime tamen lethalis, Hippocrat. lib. de affect. § 5.

eſt. Supervacanei laboris eſſet, quando in praecipite ſtet afflicta, quando in tuto magis verſetur, percurrere: ſiquidem ex hiſtoria morbi periculi et ſalutis modum colligi licebit. Unam hanc tantum obſervationem proponam; quamdiu cordis et pulmonum actio manet, non eſſe metuendum; in maximo periculo eas verſari, quae gravidae, aut partu nuper levatae, in acceſſiones inciderunt; ubi cancri uteri aut ejus appendicum, vel ulcera aut tumores, morbum effecerunt, malum etiam eſt.

Curatio facilior in junioribus quam in ſenibus; in his etiam difficilior, ſi ad ſenectutis incommoda deterior corporis habitus acceſſit. Contra, illae ex levi aliqua vitae generis mutatione ſanantur (*a*). Si ante pubeſcentes annos affectus hyſterici fuerunt (*b*), menſtruis jam primum erumpentibus, fere evaneſcunt, modo illae libere et nullo negotio fluant. Ubi iidem ex parentibus traditi ſaeviunt, aut ex leviore quaque re, cum tolli jam debuerint, recurrunt, triſte et inſanabile hoc genus habetur (*c*). Sunt quae in ipſa acceſſione pereunt, eae potiſſimum, quae imbecilliorem corporis habitum habent, quaeve inter aegritudinem male curatae ſunt. Hae autem acceſſione epileptica aut apoplectica ſtrangulari ſolent (*d*).

Ratio

(*a*) Juncker. conſpect. med. p. 331.
(*b*) Hippocrat. coac. praenot.
(*c*) Aſtruc loc. citat. p. 103.
(*d*) Hoffman. loc. citat. p. 55.

RATIO MEDENDI.

TRIPLEX medendi ratio eſt.

Primum, Caſus morbum excitantes vitandi.

Deinde, Inſtantia mala levanda, acceſſioneſque tollendae.

Tertio, Inter ſingulas has corporis mobilitas demenda eſt.

Caſus morbum efficientes qui ſint, jam antea dictum eſt.

Protinus igitur ad ſecundam curandi rationis partem adgredior. Hic autem, ſi plenius corpus eſt, aut praeter naturam aliqua intus retenta morbum fecerunt, ante omnia ſanguinem mitti oportet (*a*): quod tamen aliis omnibus temporibus nocere conſuevit: quin et exitiale interdum idem hoc remedium fuit (*b*); ſiquidem in praeſens tantummodo tempus mulier levatur, corpus autem debilitatur, morbuſque laeſo ſic habitui certius

(*a*) Secari in talo vena plerumque ſolet ab iis qui in uſu medendi verſantur; magis ſi menſtruorum humor parum fluit.

(*b*) Sydenham. loc. citat.

tius inhaerescit (*a*); adeoque in ipsis iis, quibus plenius est corpus, cavendum est, ne saepius justo vena secetur: nam sanguinis perdendi consuetudo leviora quidem mala facit, sed accessiones crebriores et graviores utique reddit.

Verum si instantium omnium pestis mitti sanguinem omnino cogit, quo tempore deficiens corporis robur vetat, eliciendus is paulatim est, vel sugentibus hirudinibus, vel, ut CELSUS praecipit, cucurbitis admotis (*b*). Ubi vena neque secari debet, neque secta profuit, irritandi nervi sunt, pluribus corporis locis aqua frigida sparsis (*c*), pedibusque eadem levatis: per anum immitti debent, ruta, camomelum, et similia, quibus multum olei blandi sit adjectum; praecordia et artus extremi perfricari (*d*); naribus odorem gravem spirantia admoveri: Hujusmodi sunt, assa foetida, oleum cornu cervi, sal volatilis ammoniacus, panmus aceto acri tincta, plumae combustae, vel lucernae modo extinctae halitus (*e*), donec expergefacta sit, vel sternutatio cieatur(*f*). Quod si post omnia haec accessio adhuc manet, proxima cura est, ut per acria cataplasmata (*g*), vel foetidis emplastris

(*a*) Hoffman. loc. ult. citat. p. 55. Lieuteaud, loc. citat. p. 620.

(*b*) De med. cap. 20. lib. 4. p. 232.

(*c*) Hippocrat. epidem. 5.

(*d*) Hoffman. loc. ult. citat. p. 57.

(*e*) Celsus, loc. ult. citat. p. 233.

(*f*) Hippocrat. aphor. 35. § 5. Astruc, loc. cit. p. 109.

(*g*) Astruc, loc. citat. p. 117.

plaſtris (*a*) abdomini aut cavis pedibus impoſitis, excitetur. Nicotiani fumos, ſi a ceſſantibus, vel pertinaciter retentis menſtruis, morbus ortus eſt, in uterum immitti quoque oportet. Nonnunquam convulſionibus et vomitibus ita gravibus mulieres torquentur, ut ad opiata fugere neceſſe ſit; quae, niſi haec neceſſitas urget, poſt debitam inanitionem, ſolum dari convenit.

Reſtat nunc, ut de tertia medendi rationis parte verba faciam. Haec a leni vomitu (*b*), per ipecacuhanum, carduum benedictum, vel camomelum, excitato, recte incipi poſſe videtur; eoque magis, ſi ſub acceſſionis tempore opiatorum neceſſitas fuit (*c*). Hac ratione, in ſtomacho et inteſtinis ſordes ſemper abundantes rejici poſſunt. Porro, cum ad ultimas corporis partes eorum vis penetret, quicquid vel perſpirationem, vel aliud quidvis excerni debitum, impedit, id ſic citatus vomitus tollit; cujus quidem utilitatem, cum in hoc morbo, tum in omni nervorum reſolutionis genere, experientia docet (*d*). Poſt vomitum, aliquid, quod et purgat et roborat, ut tinctura rhaei amara vinoſa, tinctura ſacra, aut ſimile aliquid,

(*a*) Forreſtus, lib. 28. obſ. 34.

(*b*) Acriter purgantia omnia fugienda; ſiquidem graves ſaepe motus excitant. Hoffman. loc. ult. citat. p. 56. Lieuteaud, loc. citat. p. 621.

(*c*) Hoffman. loc. ult. citat. p. 56.

(*d*) Cheyne on the Engliſh Malady, p. 207.

quid, recte datur: quo facto, et tuto et prospere uti opiatis licebit. Nec liberior tamen eorum usus utilis est; quoniam, ut minus prosint, nisi portionibus usque auctis, vel brevis consuetudo efficit; nec sine magno malo ponere, quo tempore velis, post longiorem usum, eadem licebit.

Proximum nunc est, quicquid vel impedit, vel omnino menstrua occludit, ejus tollendi proponere rationem. Si vel in uteri vasa sanguis languidius influxit, vel illorum extrema nimis constricta sunt, unde vi a tergo sanguinem citanti, nimis quoque contra resistitur, utrumque enim fieri potest, prout haec aut illa causa fuit, ita diversa sequenda curandi ratio est. Si sanguis languidius in uterum influit, citandus is primum est: huic consilio aloë, parvae mercurii dulcis portiones (*a*), concussus electricus (*b*), elleborus niger (*c*), gummi foetida (*d*), potissimum conveniunt: prodest etiam balneum, et arteriarum crurum, solenni menstruorum tempore, compressio: atque hoc sane tempus est, quo maxime naturae sit succurrendum;

(*a*) Astruc loc. supr. citat.

(*b*) De Haen, rat. medend. p. 239.

(*c*) Hunc nunquam non profuisse pro emenagogo datum testatur Mead. Cochleare parvum hujus tincturae, bis die, in aquae calidae cyatho, dare consuevit. Monit. med. cap. 19.

(*d*) Pleniorem habitum habentibus aloën gummique resinosa nocere credidit Hoffmannus, loc. modo cit. p. 56-7.

dum; aliis temporibus alienus omnis fere curandi labor eſt.

Si uteri vaſa conſtricta, et nimis ſanguini reſiſtentia menſtruis offecerunt, reſolvi illa ſimul debent, tepidi lactis aquaeque halitibus extrinſecus adhibitis, vel ipſa illa in uterum intro immitti; non inutile eſt, atque per anum inſinuari emolientes clyſteres oportet (*a*). Ubi ceſſantium hemorrhoidum ſoboles morbus eſt, eadem praeſtanda ſunt, et praeter haec, ſulphuris uſu facilis alvus ſervanda; acriter purgantia vitanda, ſugentibus hirudinibus, ſanguis per anum eliciendus; unde ſaepe fit, ut juſtus fluxus reſtituatur (*b*).

Nunc demum ad id perventum eſt, quod propius ad curationem pertinet. Ventriculi et inteſtinorum tonum roborant, et horum nimiam irritabilitatem tollunt, tum opiata caute data, chalybs, folia aurantiorum (*c*), tum alia firmantia et antiſpaſmodica. Verum ſi jam alicui morbus aſuevit, certior curandi ratio nulla eſt, quam ut, illis omiſſis, ad ſolitum vitae genus afflicta redeat, et has tamen leges obſervet (*d*).

(*a*) Si omnes conatus in reducendis menſtruis fruſtra ſunt, per ſonticulos arte factos tentandum auxilium eſt.

(*b*) Hoffman. conſult. et reſponſ. med. cent. 2 et 3. ſect. 3. caſ. 43. p. 224.

(*c*) Obſervat. Pract. Maximiliani Locher. p. 45.

(*d*) Hoffman. loc. ult. citat. caſ. 43.

Victus ejus generis esse debet, quod quam maxime alit, facillime concoquitur, et inflammationibus minime opportunum est; cibi non multum simul (*a*), sed saepius sumi. Ita enim fiet, ut et facilius, et perfectius is in sanguinem mutetur, malaeque digestionis incommodis occurratur.

Aqua vel pura, vel certis ei rebus natura mixtis, caffe et vina, potui danda sunt. Aqua frigida optime cibum digerit; optime humorum servat tenuitatem. Eadem ante somnum pota, cum putens aut acidum quidvis ventriculo forte conclusum dilutum abluat, quietem per noctem conciliabit, et una vel altera ante jentaculum hora, si iterum fuerit assumpta, cibi adpetitum acuet. Aquae, cui alias res natura immiscuit, iidem sunt affectus; et praeter hos, menstruorum fluxum et potenter regit (*b*), et animi languorem hujus morbi toties comitem tollit (*c*). Saepe hystericis in vitiis caput dolet, magisque post cibum, quia debilior ventriculi tonus est, quam ut concoctio rite procedat, sub hoc casu efficax medicina caffe est, et plerisque etiam grata (*d*).

Vinum

(*a*) Impura corpora, quo magis nutriveris, eo magis laedas. Hippocrat. aphor. lib. 2. sect. 2.

(*b*) Hoffman. v. 3. sect. 1. cap. v. p. 56.

(*c*) Cheyne, loc. citat. p. 210.

(*d*) Cum stomachus valde debilis fit, tribus post prandium horis, dolore capitis, gravitate, moerore, vexari incipio, quae

Vinum rarius datur, quod tamen in paucis ſane morbis magis deſideratur, utiliuſve dari, quam in hoc, poteſt, maxime, ſi qua ei non multum aſſuevit. Saepe Sydenhamus profuiſſe vinum comperit. (*a*). Fullerus, cuidam mulieri acceſſiones pertinaciter diuturnas, fruſtra aliis medicamentis curatas, per hoc ſanatas oſtendit (*b*). Idem rite miniſtratum et ventriculum et inteſtina roborat et hilares animos facit. Hoc conſilio, ex eorum genere, quae roborant et optime fermentata ſunt, aliquid eligendum eſt, ne turbas in ventriculo jam ultro iis obnoxio moleſtas forte excitet.

Si horum omnium nihil profecit, vehementes et ſubitae animi perturbationes, ultimum auxilium, ſollicitandi ſunt; his enim Epilepſias (*c*), et alios nervorum morbos ſublatos fuiſſe conſtat; quin et ipſe hic, de quo agitur, morbus, aliis re-

quae quoniam a ſtomacho male digerente fiunt, duos vel tres caffe cyathos haurio, et momento temporis, ac fere ad miraculum a malis praedictis me ſtatim libero. Bagliv. Prax. med. lib. 1. p. 76.

(*a*) Sydenham. loc. citat.

(*b*) Medicin. Gymnaſt. p. 131.

(*c*) Barthol. hiſt. anat. rarior, c. iii. hiſt. xli. miſcell. ac nat. curioſ. d. 11. ann. ix. obſ. clxxxix. d. 111. ann. ix. x. obſ. lvii.

bus fruſtra tentatis, ſimili rationi aliquando ceſſit (*d*).

In ſummum tamen, vix ulla ſpes in ſola medicina poſita eſt. Levare ea quidem pro tempore ſolet, non etiam ſanare. Si quam quis perſanare velit, ad exercitationem fugiendum eſt. Sola haec perpetuo prope auxilio eſt (*a*). Utiliſſima equitatio eſt; verum ſi agitari prae imbecillitate mulier nequit, aliquanto ante ambulare et perfricari eam oportet, vel per levem planitiem vehi; prius quoque vehi et perfricari, quam in frigidam aquam deſcendere (*b*). Sic enim, ſi qua admodum infirma eſt, eam aqua frigida, alias nocitura, juvat. Neve exercitationum taedium aegras capiat, eae quam maxime variare debent; "Nam "levat laſſitudinem etiam laboris mutatio; eum-"que, quem novum genus cujuſdam laboris preſ-"ſit, id quod in conſuetudine eſt, reficit (*c*)." Exercitationis autem plerumque finis eſſe debet ſudor, aut certe laſſitudo, quae citra fatigationem ſit (*d*).

Poſtremo,

(*a*) L'hiſtoir. de l'acad. des ſciences, 1752.

(*b*) Sufficiens labor, et humectatio corporis, plus valent, quam univerſus medicationis adparatus, optima licet methodo inſtitutus. Junker. conſpect. medicin. p. 334.

(*c*) Fuller. loc. citat. p. 142.

(*d*) Celſus, loc. citat. cap. 3. p. 26.

(*e*) Id. cap. 2. p. 23.

Poſtremo, cum aliis hominibus alia corporis conſtitutio ſit, magiſque etiam foeminis (*a*), ratio curandi aeque varia ſequenda eſt, idem in aliis mulieribus non ſemper auxilio erit, nec in eadem, aliis temporibus. Prius igitur quam quis ad curationem ſe accingat, mulieris conſtitutionem, vitae genus, et ſimilia alia, ſcire oportet. Semperque hoc ſervare, ſi prava quaevis conſuetudo morbum effecit, eam non ſubito, ſed paullatim eſſe vincendam (*b*). In excitantes etiam morbum cauſas inquirendum eſt, videndumque, graveſne animi motus agitatam aliquando mulierem torſerint, quibus nihil proclivius vel excitat, vel excitatum alit morbum, aut curationem magis impedit. Quocirca omnibus modis hilaris et placatus animus, quod quidem per ſe ad ſanationem morborum magnopere pertinet (*c*), reddi debet; injucunda et moleſta omnia ablegari, gaudia eaque varia, agitari; ne eadem ſemper objecta faſtidium tandem moveant: quapropter, potius per regionem voluptuaria

(*a*) Hippocrates, enumeratis temperamentorum mulierum varietatibus, ait, " Eum autem, qui haec recte tractare " volet, mulierum naturas, et temporum opportunitates, et " aetates, et anni tempeſtates, et loca, et ventos, ſemper " dignoſcere oportet." Foeſii, p. 204, 5.

(*b*) Cum quis aliquid volet mutare, paullatim debebit aſſueſcere. Celſus, loc. citat. cap. 3. p. 25.

(*c*) Cappod. Arctaeus, lib. 1. de cauſ. et ſig. morb. diuturn. p. 57.

ria varietate amoenam, quam per notam, eoque minus gratam, eundum eſt.

Aër apertus, purus et ſiccus, quantum fieri poſſit, trahendus, quippe qui ſanationem multum expedit; eoque magis, quo imbecillior adhuc mulier eſt. Nam ut vetus HIPPOCRATES olim obſervavit, " Aër in omnibus quae corpori acci-
" dunt, maximus eſt et auctor et dominus, cu-
" jus potentiam diligenter perſpicere opor-
" tet (*a*)."

Jamque reſtat, ut praeceptoribus meis celeberrimis propter labores in me collatos gratias agam. Nae ego me olim felicem fuiſſe exiſtimabo, quod viros tam graves et doctos per ſex annorum ſpatium audiverim, quodque horum ſub auſpiciis, tantum temporis medicinae ſtudiis dederim.

(*a*) Lib. de flatibus. § 4.

FINIS.

ERRATA.

P. 7. l. 8. pro, inter ſe junctas, lege, inter ſe ſejunctas. P. 8. l ult. not. pro, Id. leg. Hoff. P. 13. l. 23. del. punct. et add. ?. P. 14. l. 12. pro, poſtque, leg. anteaque. P. 22. l. 18 et 19. pro, panmus, leg. pannus. P. 26. l. 2 et 3. pro, inflammationibus, leg inflationibus. P. 28. lin. 1. not. pro, (a) leg. (d) l. 3. ib. pro (b) leg. (a) l. 5. ib. pro (c) leg. (b) l. 6. ib. pro (d) leg. (c) l. ult. ib. pro (e) leg. (d). P. 29. not. l. penult. pro, Arctaeus, leg. Aretaeus.